



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 135. Ludovicos XI. Anglos contra Flandros in Gallias accersere intentus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

pitu longe optatior erat, partim splendore Sæcul. XV.
A.C. 1477.
 auri (Gallia enim quot annis quinquaginta
 aureorum millia ei pendebat) obcæcatus,
 partim spe nuptiarum filiæ suæ cum Del-
 phino sopitus, aut forte ab ipso Angliæ
 Senatu, in quem Ludovicus larga manu
 pecunias effundebat, delusus unice id
 agebat, ut a Maria de Burgundia solli-
 citatus, de illatis ei injuriis Regem ad-
 moneret, quamvis & hi quoque ejusdem
 conatus in irritum caderent. Hoc uni-
 cum certe Eduardi torporem excussisset,
 si dicta Burgundiæ hæres Riverio Comiti *Riviers.*
 Reginæ Angliæ fratri nupsisset: Angli
 etiam, si hisce nuptiis eventus collude-
 ret, contestati sunt, se rescissis Franciæ
 induciis foedus cum Belgis adversus Lu-
 dovicum Regem pacturos. Ea res sane
 haud prospero caruisset successu. Atta-
 men Maria de Burgundia, cum Riverius
 Comes supremo cujusdam Regni imperio
 destitueretur, eo relicto sese Maximiliano
 Imperatoris Friderici filio dicabat.

§. CXXXV.

*Ludovicus XI. Anglos contra Flan-
 dros in Gallias accersere intentus.*

Galliarum Rex Ducissæ consilium edo-
 ctus, nullum non movit lapidem, ut
 connubiale hoc foedus præpediret. Quare
 Anglos in Franciam revocare statuit,

Rr 4

peri-

Sæcul. XV. periculi, cui se exponeret, ac ingentium
 A.C. 1477. immemor malorum, quæ Carolus VII.

Pater ejus nonnisi virtute humanis viri-
 bus superiori eluctatus erat; Nihilomi-
 nus Eduardum Flandriæ ac Brabantiae
 facili negotio occupandæ spe pellicit,
 cuncta, quæ obstarent, tanquam unius
 diei laborem depingit, atque pollicetur,
 se hæc Provincias eidem libere cessu-
 rum, remisso etiam fidelitatis Sacramen-
 to, quod Franciæ Regibus clientelæ no-
 mine debitum esset. Insuper spondet, se
 mox pro decem millibus sagitariis qua-
 tuor mensium stipendia numeraturum,
 eodemque tempore, quo Angli Flan-
 driam invaderent, se cum exercitu suo
 in Hannoniam penetraturum, atque ad
 Caletensem urbem tormenta bellica,
 quotquot exigent, sine omni expensa-
 rum onere transmissurum. Præterea
 Eduardo promisit, se suis sumptibus no-
 biliores quatuor Brabantiae urbes expu-
 gnaturum, easdemque postea Anglis tra-
 diturum. Nihilominus Eduardus spreta
 hac promissorum amplitudine a bellandi
 animo adeo alienus erat, ut duntaxat
 propensam erga se Ludovici XI. volun-
 tatem grati animi testificatione compen-
 sare; quapropter hac de re haud am-
 plius quicquam actitatum est.